


eccētrotetis FL. Sed ex assumptis sequitur, quod stella ex o pro-  
 gressa orditur quidem promittitq; differentiam, quam FL cen-  
 trorum distantia habet efficere. Sed accedente centro mobili  
 ad F medium, detrahitur magis ac magis promissq; diuersitati,  
 frustraturq; adeo, ut circa medias HP sectiones tota euanescat,  
 ubi maxima debebat expectari. Et nihilominus, quod fatemur,  
 facta etiam parua sub radijs Solis occultatur, Atq; in Oriēte uel  
 Occidente sidere matutino uespertinoūe non cernitur, penitus  
 sub anfractibus circuli. Et hūc quidem modum præterire nolui-  
 mus, non minus rationabilem priori, quicq; circa latitudinum  
 discessus apertissime usu ueniet.

De tabulis prosthaphæreleon quinq; errantium  
 stellarum, Cap. XXXIII.


 Æc de Mercurij ac cæterorum errantium stellarum  
 motu æqualitatis & apparentiæ sic demonstrata, &  
 numeris exposita sunt, quorum exemplis ad quæli-  
 bet alia loca, differentias motuum calculandi uia pa-  
 tebit, atq; ad hunc usum Canones parauimus, cuiq; proprios,  
 sex ordinum, uersuum uero xxx. per triades graduum uti sole-  
 mus. Primo, duo ordines numeros habebunt communes, tam  
 anomalix eccentrici quàm commutationū. Tertius prosthaphæ-  
 reses eccentrici collectas, totas inquam differentias, quæ cadunt  
 inter æqualem diuersumq; motum illorū orbium. Quarto scru-  
 pula proportionum, quæ sunt sexagesimæ, quibus commuta-  
 tiones ob maiorem minoremūe terræ distantiam augentur uel  
 minuuntur. Quinto prosthaphæreses ipsæ, quæ sunt commu-  
 tationes in summa abside eccentrici planetæ, ab orbe magno con-  
 tingentes. Sexto & ultimo excessus, quibus superant eæ, quæ fi-  
 unt in infima abside eccentrici, & sunt Canones isti,

X

Saturni